PER

LE NOZZE

MOCENIGO - DA PORTO



PADOVA

COI TIPI DEL SEMINARIO

1844

AD

OTTAVIANO CO. DE MOCENIGO

Pensando che ad animo gentile non possono tornare che di viva compiacenza e consolazione la sincera riverenza e le libere lodi attribuite agli uomini veramente grandi di sua famiglia, avvisai che non venisse disaggradevole a Voi, nel giorno faustissimo delle vostre nozze coll'esimia donzella Laura contessa Da Porto, l'elogio di uno tra i molti illustri vostri antenati che cooperarono col senno e con l'armi alla grandezza ed alla fama della veneta repubblica.

Pietro Mocenigo, che dopo la metà del secolo decimoquinto fu eletto a generalissimo della repubblica, e nel 1474 innalzato a doge, nella quale dignità visse pel troppo breve corso di due anni, è appunto l'eroe di cui canta, coi versi che io v'indirizzo, Bartolammeo Pajelo cavalier vicentino al Mocenigo contemporaneo. Del merito del poeta non occorre ch'io vi dica; questo breve lavoro, ch'io ebbi la sorte di leggere autografo presso la pubblica Biblioteca di questa città,

benchè uno de' primi parti del suo ingegno, vale esso solo a svegliare quella fama, che troppo ingiustamente si tenne finora pressochè silenziosa in suo riguardo. Laonde tanto più ritenni non dover esservi discaro questo mio presente, dappoichè all'interesse dell'argomento va ad accoppiarsi quello che deve di necessità destare il merito del poeta e l'onore di una città, cui vi manterrà sempre cara la memoria di questo giorno e della vostra giovinezza.

Possa adunque tale offerta esser da Voi accettata come vera espressione della stima ed attaccamento che da' miei primi anni vi ho sempre professato, ed io andrò lieto, oltrechè del vostro aggradimento, della speranza di aver messo in luce il merito d'un figlio della stessa mia patria, e d'aver forse con questo saggio di latina poesia potuto eccitare gli amatori del bello ad apprezzare e render palesi altri componimenti di non minor pregio di così valente scrittore.

Vicenza 29 luglio 1844

Filippo dott. Milani

DE LAUDIBUS

PETRI MOCENICI

CARMEN

BARTHOLOMAEI PAJELI



BARTHOLOMAEI PAJELI

EQUITIS VICENTINI

DE LAUDIBUS AC REBUS GESTIS
INVICTISSIMI VENETAE CLASSIS IMPERATORIS
EJUSDEMQUE PRINCIPIS DIVI
PETRI MOCENICI

SYLVA, CUI NOMEN MOCENICA

PRAEFATIO

Dum petit exultans audacibus aethera pennis,
Nec medio tutus limite currit iter,
Deficit infelix ac praeceps fertur in aequor,
Et nomen vastis Icarus addit aquis;
Et Phaetonteos rugoso e cortice casus
Testantur longis fletibus Heliades.
Sic quicumque supra vires nimis ardua tentat,
Raro non ausis excidit ille suis.
Res gestas, Mocenice, tuas, seriemque laborum
Quis canat, et tantum condere possit opus?
Tot domitas Asiae gentes, tot milite forti
Capta, tot ultrici moenia versa manu?
Certe ego non ausim, nec tantum adspirat Apollo.
E multis aliquid dicere posse sat est.

Maxime dux Venetùm, quo nec pietate, nec alter
Justitia sumptisve fuit praestantior armis,
Non ego prisca tui generis monumenta revolvam,
Quamquam ingens hortatur amor, non facta parentum
Exequar, aut venetae repetam primordia gentis.
Fors erit et locus his; modo me non invida servent
Fata Deùm. Nunc praecipue studiumque laborque
Sit nobis utcumque tuas percurrere laudes.
Nam neque Pierides, nec tam Cirrhaeus Apollo
Dexter adest, ut digna tuis praeconia rebus
Aggrediar, tantumque animo comprehendere possim:
Sic nostros nimio praestringit lumine sensus
Tantarum rerum splendor. Nec protinus aetas
Prima parum enituit, multum patriaeque tuisque
Pollicita est, multum teneris praeluxit ab annis.
Jam tum acre ingenium puero, jam dulce loquendi
Pondus erat, vultusque hilari probitate renidens,
Gratiaque, et rari mores, spes certa futurae
Virtutis; neque enim studiis puerilibus unquam
Dedita mens pueri, sed coetu adstare frequenti
Saepe virùm in medio, et praeclara audire juvabat
Gesta patrum, atque hostes pelago terrave subactos.
Tale dabat specimen, tantaeque exordia jam tum
Indolis, atque adeo cum pubescente juventa
Aemula crescebat generoso in pectore virtus!

Post ubi maturis annis adoleverat aetas,
Tum vero ingentes animi, tum cedere virtus
Nescia; solus amor titulis certare parentum
Et claros anteire viros; discrimina terrent
Nulla, vices nullae; duri certamina Martis
Primus inis, postremus abis. Nec singula vero
Nunc referam quae tunc aut pace, aut egeris armis
Pro patria: quodnam studium, quae cura, quis ardor,
Quam prudens animus, quaenam constantia recti
Propositi, quam largus opum, quam fortis in omni
Eventu rerum, quam fidus, et omne per aevum
Integer et vera nulli pietate secundus.

Ast ubi summa tibi pelagi commissa potestas,
Imperium pelagi, portusque, urbisque tuendae
Quis referat? quaecumque vigil patiensque laborum
Gesseris? Instabat jam capta Chalcide summum
Discrimen, neque erant satis intra moenia tuti,
Nedum non ausi campo consistere in armis
Littora qui tunc praesidiis urbesque tenebant;
Euboicis adeo perculsi cladibus omnes,
Turcarumque furore ipsumque tremiscere gentis
Nomen, et ex altis jam cernere turribus hostes.
Nutabatque fides populorum, incertaque vulgi
Pectora: tu patriae columen, supremaque visus
Imperii, Mocenice, salus, quem posceret acris
Jam pubes in bella ducem, qui tendere magnis
Auderes animis contra, tantisque periclis
Et rerum posses tantarum occurrere moli.
Utque altum tenuit classis mare, protinus urbes
Demissos tollunt animos, spes addita fessis;

Et modo qui portus terrorum impleverat, omnis
Undique collectis extemplo navibus hostis
Terga dedit cursu trepido, Phryxeaque ponti
Ad claustra, et latebras pavidus confugit Abydi;
Ceu quondam Cilices, audito nomine Magni,
Aequore cesserunt, ut primum signa per undas
Romanae fulsere aquilae, crepuitque tubarum
Clangor, et ingenti latuit sub classe profundum.
Vicit at ille vagos Cilicas; tu Thracibus oras
Portusque obsessor recipis, volitansque per aequor
Huc illuc fessisque et jam labentibus affers
Rebus opem. Quidnam memorem quo pectore, quanto
Consilio, quibus auspiciis, quibus impiger armis
Corda fidemque virùm, et dubias firmaveris urbes,
Illyrico dum tu positas in littore gentes
Epirique oram, et Phaeacum moenia, nec non
Naupactum, multosque alios portusque sinusque,
Inprimisque sinus Pelopeae gentis et urbes
Actaeas, dehinc regna petis Minoia, Creten?

Dum Scyros, dumque et Vulcania Lemnos, et omnes
Lustrantur quas Aegeum complectitur aequor
Cycladas assiduoque fremens interluit aestu,
Dum claramque Rhodon, Venetis quae foedere juncta est,
Expectatus adis; tum vero ad littora magno
Undique concursu populi, lacrymisque ruebant
Tendentes dextras miseri, auxiliumque precantes
Circumfusi omnes. Multum quibus illicet addis
Praesidii, firmasque animos et pectora dictis.

Interea regina Cypri Cornelia, sanguis
Egregius Venetùm, trepido perculsa tumultu,

Et magni infanda patrui perterrita caede
Significat qui sit rerum status; insuper orat
Classis opem. Irruerant circum, rebusque parabant
Tantorum auctores scelerum, regnoque potiri.
Hoc simul allatum est, subito commotus et ira
Accensus: properate viri, atque occurrite coeptis;
En si qua est virtus, inquis, si robur in armis,
Nunc agite, et mecum trepidos invadite ferro
Dum licet, et dubius pendet favor; ite, nec ulla
Jam mora sit segnisque metus. Di segnibus ultro
Infensi. Vix fatus eras. Illi ocyus arma
Expediunt; jamque hinc cursu noctemque diemque
Nusquam intermisso, Paphias contendis ad oras.
Utque procul visi, fulgentia signa, Icones,
Atque armis longe pelagus radiantibus arsit,
Tunc vulgi furor incerti, tantusque resedit
Actutum motus rerum, missisque per urbes
Praesidiis, pacata Cyprus ditissima et ingens
Iusula, compositis rediitque in pristina rebus.
Littora dehinc Asiae, atque Otomani invadere regnum
Mens tibi. Jamque iterum procedunt aequore puppes,
Jamque tenent oras Cilicum. Stat Chalcidos urbis
Ulcisci cladem, atque Asiae placare ruinis
Grajorum manes; stat cuncta incendere late,
Ni dedant sese, populosque exscindere ferro.
Magni continuo sedes praeclara Seleuci
Atque urbes aliae, Perseaque moenia Tarsi,
Nec minus et celebris memorando Corycus antro
Ut sumpsisse vident non aequis viribus arma,
Pacem orant Venetùmque fidem, quas, optime ductor,

Haud aspernatus, socias tibi foedere jungis.
Tum reges pueros Caramani in regna parentis
Restituis, fuerant Venetûm qui castra secuti.
Multae dehinc domitae gentes, multa oppida bello
Diruta. Sic olim positis si viderit armis
Procubuisse virum Libycus leo, protinus ardet
Ira minus. Gaudet pavitantem cernere victor,
Jamque illi vicisse sat est. Idem incitus hostes
Tendit in adversos, totisque in praelia fertur
Viribus, horrendumque fremit, perque arma virosque
Irruit, et largis explentur caedibus irae.

Principio invadis qua parte acerrimus olim
Navali Cimon fudit certamine Persas.
Jamque urbs Attalia, atque omnis Pamphylia sensit
Quantum animis et marte vales; tum proxima late
Littora vastantur Lyciae, totque oppida passim
Direpta et laetis flaventia messibus arva.
Hinc Cares bello domiti, genus acre vel ipsis
A proavis, quorum in Grajos Regina secuta est
Arma olim Xersis, sed non et segniter aeque
Pugnavit. Molem haec eadem Regina sepulchri
Ingentem, artificumque manu mirabile quondam
Struxit opus: proh tempus edax, aevique vetustas!
Saxa jacent, dumique tenent hederaeque ruinas,
Et vix apparent tanti vestigia sumptus.

Protinus et junctis instas regionibus, et qua
Maeander refluit, Pactolusque irrigat auro;
Aggrederis dehinc et campos, ubi Pergama quondam
Iliacaeque arces fuerant monumentaque rerum;
Nobile Rhoeteum tumulo, et Sigea revisis

Littora qua steterat pugnantum classis Achivûm,
Atque Antenoreae lacrymans cunabula gentis
Diceris et veterum sedes veneratus avorum.
Quis vero rerum seriem, tua fortia facta,
Enarrare queat, tot saevi praelia Martis,
Tot fusas acies, tot bella exhausta, tot urbes
Eversas? Neque enim auderem, nec si omnia quisquam
Audeat, et studio complecti et carmine possit.
Te duce, spes Italum tum primum arrecta, timorque
Cessit, et auspiciis hinc pubem armare secundis
Coepimus, et multum auxiliis confidere Divûm.
Quaeque ad Byzanti nuper defecerat urbes,
Ad Venetos rediit navalis gloria belli
Et notas sedit supra Victoria puppes.
Te duce, pacatum pelagus, nec jam amplius audet
Hellespontiacis prodire a faucibus hostis.
Vix haec posteritas credet seraque nepotes,
Tanto ut successu, quod non potuere tot anni,
Una quidem virtute tua confecerit aestas.
Apparent nusquam nunc vela infesta per aequor;
Tutum iter ad Lemnon, tutum est a Gadibus usque
Ad Pharon, et tepidi stagnantisque ostia Nili.
Non aliter quum diversa de parte furentes
Incumbunt pelago venti, fragor undique vastus,
Undique collectae nubes, raptasque procella
Aut scopulo illidit naves, aut aequore mergit:
Quod si regnator jubeat domitorque profundi,
Protinus Aeolio clauduntur flamina saxo,
Subsidunt late fluctus, caeloque fugantur
Nubila; tum dextra quatiens rex ipse tridentem

Caeruleos hortatur equos; tenus armiger alvo
Eminet, et cantu mulcet procul aequora Triton.

Mox et Abydeni penetrasses invia cursu
Claustra freti, ni jam in patriam dare lintea tempus
Imperii sub fine tui; proh quanta dedisses
Virtutis monumenta pater! Jam longa Propontis,
Atque ibi jam portus omnes, faucesque paterent
Threiciae; nulla hostilis violentia naves
Diriperet qua parte Asiam, qua gurgite vasto
Alluit Europae non hospita littora pontus,
Cui quondam cognomen erat feritate colentum
Axenos, et falso jampridem nomine pontus
Dicitur Euxinus, violentis omnia quando
Praedonum in manibus, quando Phasisque Tomosque
Hei mihi! quam tenui petitur discrimine mortis
Nusquam esset locus insidiis, sed tutus ad usque
Bosphoron extremum cursus gentesque repostas
Atque olim insignes Phryxeo vellere Colchos,
Hic quamquam regnis opibusque potentior hostis
Tigrane Armenio, aut ponti qui regna tenebat.

Decreto interea patrum victricia tendis
Vela retro, ac Grajûm positis prius omnia circum
Littora praesidiis, Lemnonque et Cycladas omnes
Et Cretam, multosque sinus, qua Graecia late
Cingitur Ionio magno, portusque relinquis,
Gestarum ingenti rediens cum nomine rerum
Jamque iter accelerans Corcyrae ab littore in altum
Tendebat classis, puppesque aequata ferebant
Flamina; quum subito ingentes nec vana tumultus
Nuncia fama tulit: collectis viribus hostes

Ingruere infestos, atque ipsam cingere jam tum
Obsidione urbem Scodrae, castrisque sub ipso
Insedisse jugo, et campos operire catervis,
Quam multa ex Asia trajecerit Hellespontum
Millia Persarum Xerses quum sterneret aequor
Pontibus. ingentes caperent vix agmina campi.
Deficerent mediis e ponti cursibus amnes.
Ut stabas celsa in puppi, tunc talia vultu
Intrepido solitaque animi virtute profaris:
Mene igitur positis hoc in discrimine rebus
Vela dare ad patrias sedes? Sic gloria parta est?
Hanc famam nomenque fero? Procul ah, procul absit
Dedecus hoc tantumque nefas. Succurrere certum est
Huic urbi, atque iterum stat casus ire per omnes
Pro patria, atque extrema pati. Sic fatus et acres
Inflammas dictis animos ac fervidus instas.
Vela legunt, dextrumque ad littus et ostia vertis
Classis iter, superasque adversi fluminis undas.

Monte super posita est, praeruptoque ardua saxo
Scodra; neque hinc procul est ingens lacus, unde perennis
It juxta saxum, et devolvitur amnis in aequor.
Haec Lauretanus tum fors Antonius acri
Moenia servabat cura, vir sanguine cretus
Patricio, cui res tenuis, sed vivida virtus
Invictique animi; patriae non immemor ille,
Non ille et gestis rebus titulisque parentum
Degenerans, sua quem virtus ac tale senatus
Ob meritum in claros summosque evexit honores.
Ergo etsi munita satis virtuteque tanti
Praesidis, ingenioque loci; tamen additur urbi

Haud leve subsidium classis. Flammantur in hostes
Ut notas videre rates. Tum clamor ad astra
Tollitur. exsuperantque animos ac crebra per auras
Spicula contorquent. Tum saxa ingentia muris
Devolvunt, quoties superassent ardua montis
Tentarentque hostes aditum. Saepe agmine denso
Magnanimi erupere viri, portisque sub ipsis
Conseruere manus. At Lauretanus in armis
Primus adest, primusque adeo per tela, per enses
Fertur, et instantes prosternit cominus hostes,
Nec quisquam se impune viro tam saevus et acer
Obtulit ardenti. Nunc huc, nunc fulminat illuc
Terribilis, cumulatque ingentes caedis acervos.
Tanta tuo adventu spes et fiducia rerum,
Tam praesens animus, virtutique addita virtus.
Verum ubi jam numero premitur, consistere contra
Nec potis est, et turba ruit fecundior hydra,
Tum demum excedit, multos ac tum quoque leto
Demittens, recipit sese intra moenia victor
Cum sociis. Nec tu interea, pater optime, cessas
Auxilium ferre obsessis, immittere classem
Per fluvium adversum praerupti montis ad usque
Radices, victumque exhaustae protinus urbi
Sufficis, et belli conatum eludis inanem.
Ausus praeterea vel ripa ab utraque ruentem
Deturbare hostem, campisque inferre cohortes,
Ac victor praeda toties spoliisque potitus
Threiciis. Jamque urbs tandem obsidione levatur,
Jam fessi Turcae vallum atque incoepta relinquunt
Irrita, perque vagi Epirum, perque arva feruntur

Aetola, aut quos unda secat Pencia campos,
Et gelidam lacero petierunt agmine Thracen.
Felices ambo, quorum non immemor ulla
Posteritas, neque enim gestarum gloria rerum
Ullum aevi passura situm. Clarissima virtus
Semper erit vestra, et populis venerabile nomen;
Vosque patres patriae, servatoresque vocabunt
Italiae, nec Marcello qui Gallica fudit
Agmina, qui forti superavit milite Poenos,
Nec concessuros Mario, spes una salusque
Qui quondam Romae, fuerit quum dedecus, armis
Delevit nostris gelidisque sub Alpibus hostes,
Theutonicam rabiem Cimbrosque in bella ruentes
Perdomuit, vastisque replevit caedibus amnes.
Nunc quoque par furor ac rabies, idemque tumultus,
Exitiumque instabat idem. Jam clade futura
Nutabat rerum casus, nisi vestra fuisset
Cura vigil, fatisque instantibus obvia virtus.
Haec si Turcarum cepisset moenia ductor,
Hanc arcem, belli tanti clypeumque moramque;
Hei mihi quas caedes, et quanta incendia passim,
Quas clades hostis late stragesque dedisset!
Vestris auspiciis non solum Scodra, sed urbes
Servatae atque omnes populi quaque Adria terras
Alluit Illyricas, et qua spumantibus undis
Magnus Japidiae proscindit culta Timavus.

His vero exactis, patriam petis; obvia pubes
It Venetùm dehinc et tanti pars magna senatus.
Jamque salutaris princeps, augustaque summus
Tempora vestit honos; multis optatus, at uni

Ultro oblatus honos; et jam conspectus in alta
Centauro effulges, veluti inter sidera Phoebe,
Quum pleno redit orbe nitor; nec Pelias Argo
Heroas vexit tantos. Tum plurima late
Turba ruit densis ratibus, convulsa dehiscit
Remorum impulsu et sulcantibus unda carinis.

Principio ad templum celsis e puppibus itur,
Marmoreum ad templum, gradibus cui limina surgunt
Aeratis; terno nituntur cardine valvae
Ex aere ingentes. Variis Asarota figuris
Obstruxere solum templi, tectisque sub altis
Arte labor mira sacras expressit in auro
Effigies; idemque et templi in fronte renidet
Artis honos, stant et Pario de marmore signa,
Stat Leo tutela imperii. Tum quatuor auro
Effulgent simul ac gressus glomerare videntur,
Solis equi quales elati fluctibus altis
Et maria et lustrant radianti lumine terras.
Huc victor toto accedis comitante senatu
Dona ferens; hic arma ducum exuviaeque superbis
Telaque falcatique aptantur postibus enses
Et pharetrae laxique arcus, atque addita rebus
Nomina. Sic saevos postquam domuere gigantes,
Caelicolae medium stellantis ad aetheris aulam
Laetantes duxere Jovem, solioque resedit
Arduus, et toto cesserunt nubila caelo.
Tum vero extremis properant e finibus orbis
Legati, imperio Venetum qui foedera jungant.
Ipse inter proceres solio sublimis in aureo
Orantes audis, vultus cui multa sereni

Majestas, grave pondus inest et gratia dictis;
Conspicuusque magis, quam nuntia fama tulisset,
Visus es augustusque magis; namque omnibus, urbem
Quum primum peterent diverso ab littore puppes,
Mirus amor fuerat festinique aequore cursus
Cernere ut optatos vultus jam jamque liceret,
Affari coram, vocesque audire benignas
Ac tanti responsa viri. Sic nominis ingens
Fama tui terrarum omnes compleverat oras.
Sic decus immortale viris, et gloria bello
Quaeritur. Hac Bacchus, nec non ad sidera magnus
Alcides molitus iter, dum Sitonas armis
Indomitos superat Bacchus saevumque Lycurgum,
Fraenatasque tigres septeno a flumine Ganges
Victor agit, dumque Alcides tot monstra per orbem
Geryonem campis triplicem prosternit Iberis,
Atque acrem premit Antheum, Phariasque tyrannum
Immolat humanis foedantem caedibus aras.
Non tu vel fama rerum, vel nomine tanto
Inferior. Si quis tua facta ingentia dicat
Ordine, bellorumque velit conferre labores,
Non minus aethereis et tu succedere dignus
Sedibus, et Divûm sociis accumbere mensis.

At te, si Superum veneti modo nominis ullos
Cura movet, si qua est pietas, nec perdere fixum est
Italiae populos, Di te, fortissime princeps,
Serum adeo super astra ferant, terrisque reservent
Incolumem; patriae decus idem atque optime rector,
Et pater et venetae celeberrima gloria gentis,
Sospite quo diros fas nulli horrescere casus,

Aut aliquo trepidare metu, si forte furentes
Rursus in arma ruant hostes cladem que minentur.
Nec nobis ea vana fides, quin exitus idem
Vesanae gentis furias, eademque sequatur
Auspiciis fortuna tuis quodcumque paratur
Terra, sive mari bellum, sive omnibus hostis
Viribus, atque utroque paret decernere bello.

Haec ego quae potui rerum monumenta tuarum,
Inclite dux, neque enim concessae in carmina vires
Ut dignas meritis possem tibi dicere laudes,
Accipe quodcumque est hoc muneris: accipe, nec te
Primitiis averte meis; non semper ad aras
Clitumno perfusa sacro cadit hostia taurus.